

« desperatio; respectu autem mali nondum injacenti, est timor et audacia..., et ex malo jam injacenti sequitur passio iræ.

« Sic igitur patet quòd in *concupiscibili* sunt tres conjugationes passionum, scilicet amor et odium, desiderium et fuga, gaudium et tristitia. — Similiter in *irascibili* sunt tres, scilicet spes et desperatio, timor et audacia, et ira, cui nulla passio opponitur. Sunt ergo omnes passiones *specie* differentes undecim, sub quibus *omnes* animæ passiones continentur. » (1^a 2^a, q. 23, a. 4, c; cf. *Qq. dispp. de Verit.*, q. 25, a. 2, c).

143. IV. Explicatio cujusque passionis. — Amor est passio quâ inclinatur anima ad bonum sensu apprehensum, ut ei uniatur et adhæreat; nam est amor, ut D. Dionysius dicit, « *virtus unitiva*; odium contrâ est passio quâ malum aliquod, aut saltem ut malum sensu apprehensum, *aversamur*.

Desiderium vel *concupiscentia* est passio quâ movemur ad *quærendum* et *adipiscendum* bonum sensile absens. — *Fuga*, vel *abominatio*, vel *aversio*, est passio quâ *recedimus* a malo sensili, vel curamus ne malum sensile nobis instet. — *Gaudium* vel *delectatio*, est passio quâ bono sensili adepto *perfrui-mur*, et in eo *quiescimus*. — *Dolor* seu *tristitia* (1) est passio quâ malo sensili jam injacente *laboramus* et *cruciamur*.

Spes est passio quâ *erigimur* ad bonum sensile *arduum*, quod tamen *possibile* est adipisci. — *Desperatio* nascitur ex apprehensione boni quod adipisci *impossibile* est, vel ex apprehensione mali quod imminet velut *ineluctabile*. — *Audacia* eniti-mur sive ad obtinendum bonum arduum, sive ad superandum malum grave. — *Timor* est animi *dejectio* cum trepidatione quâdam ex malo propiùs instante, a quo declinare vix licet.

(1) Viget distinctio inter *dolorem* et *tristitiam*, ex unâ parte, *delectationem* et *gaudium*, ex alterâ. Dolor enim potiùs sensibile, dum tristitia potiùs rationale malum respicit. — Item delectatio nascitur ex quocum-que bono, vel sensibili, dum gaudium propriè sequitur bonum rationale. — Cæterum, dolor potest fieri causa tristitiæ, et delectatio gaudii. — Dolor et delectatio sensilis tactu passivo præsertim percipiuntur. — Demum quæque facultas delectationem vel gaudium accipit ex possessione sui objecti.

Demum, *ira* est passio quæ nascitur ex malo jam injacente, et quâ vel malum præsens vi, pro posse nostro, avertere conamur, vel saltem appetimus vindictam.

Eæ sunt animæ passionēs, ut ait Bossuetius, *principales*, et extra quas aliæ nullæ inveniuntur specificè diversæ, sed ad quas aliæ, si quæ sint, facilè *revocantur*, utpote illarum *speciales* affectiones.

134. Inter eas *primatum* obtinet amor, quem philosophi *radicem ac fontem* omnium animæ motuum, cum S. Thomâ, ore uno docent. Et hoc quidem sapienter decretum est, tum quia « naturaliter bonum est prius malo, eò quòd malum est « privatio boni » (1^a 2^a, q. 25, a. 2, c); tum quia malum non aversamur, nisi quia privationem inducit boni amati (1).

Reliquarum passionum *ordinem genesimque* conspiciere fuit ex verbis D. Thomæ suprâ laudatis.

ARTICULUS II

De appetitu rationali, seu de voluntate.

Dicemus : 1^o de objecto voluntatis; 2^o de ipsius naturâ; 3^o de causis moventibus quibus indiget ut in actus suos prorumpat; 4^o de libertatis naturâ; 5^o de illius existentia; 6^o de falsitate objectionum quibus a deterministis impugnatur; 7^o de influxu intellectûs in voluntatem; 8^o de affectu appetitûs rationalis (le sentiment); 9^o de dependentiâ appetitûs sensitivi a ratione et voluntate.

§ I. — De objecto voluntatis.

135. Voluntas est *potentia quâ bonum vel malum intellectu apprehensum appetimus vel aversamur*; seu brevius *appetitus rationalis*. Vox *appetitus*, genus proximum voluntatis; vox autem *rationalis*, differentiam specificam declarat.

(1) Unde Bossuetius : « Otez l'amour, il n'y a plus de passion; et posez « l'amour, vous les faites naître toutes. » (*Conn. de Dieu et de soi-même*, c. 1, art. 6).

136. PROP. : *Voluntatis objectum est bonum rationale et universale, quatenus conveniens.*

1° *Voluntatis objectum est bonum.* Voluntate aliquid appetimus, vel aversamur. Atqui, experiētiā teste, nihil appetimus vel aversamur, nisi quia bonum aut malum esse putamus. — Quòd si *quandoque* malum appetamus, non est quòd malum, sub ratione mali, appetitum moveat, sed quòd *aliquid* boni includere nobis videatur, proindeque ratione illius boni malum amplectimur. Hinc illud Dionysii a D. Thomā probatum : « *Malum est præter voluntatem,* » et : « *Omnia bonum appetunt.* » (*De div. nom.*, c. 4, lect. 9).

2° *Bonum rationale;* hinc voluntas differt essentialiter ab appetitū sensitivo, qui versatur circa bonum sensibile.

3° *Universale;* conscientiā teste, non in aliquo bono particulari continet se voluntas, at seipsam extendit ad omnia illa in quibus rationem boni invenit (1). Ratio est quia sequitur intellectum; intellectus autem attingit universale.

4° *Quatenus conveniens;* si enim bonum non æstimationem vel admirationem nostram, sed *amorem* etiam rapere vult, oportet ut nobiscum *proportionem* quamdam habeat, quia, ut ait D. Thomas, « amamus aliquid, inquantū reputamus « illud nostrum. » (*In Ps. xvii. Cf. S. Francisc. Sales., Traité de l'amour de Dieu,* l. I, c. 8).

§ II. — De naturā voluntatis.

137. Assertio : *Voluntas est potentia spiritualis.*

Prob. 1° ex ejus objecto. Ea enim potentia spiritualis est, quæ sese extendit ad immateriale et universale. Atqui, experiētiā teste, voluntas ad bonum immateriale et universale sese extendit.

2° *Ex ejus actu.* Nonnisi spiritualis potentiæ est supra se

(1) Sub eo respectu, bonum *singularum* potentiarum fit quodammodo bonum ipsius voluntatis, ut notat D. Thomas : « Perfectio cujuslibet potentiæ, inquantum est quoddam bonum, pertinet ad appetitivam; propter quod appetitiva movet alias ad suos fines, et ipsa consequitur finem, quando quælibet aliarum pertingit ad finem. » (1^a 2^a, q. 11, a. 1, ad 2). Cf. *L'Idée du Beau*, p. 145, 146.

et actus suos sese *reflectere*. Sed voluntas supra se et actus suos sese reflectit; nam, conscientiā teste, sicut quisque intelligit se intelligere, ita etiam, ait S. Thomas, « *vult se velle, et diligit se diligere.* » (*In lib. I Sent.*, dist. 17, q. 1, a. 5, ad 3).

3° *Ex ejus proprietate.* Voluntas est subjectum libertatis. Porrò libertas a potentiā organicā oriri nequit, quia potentiæ organicæ, naturā ipsā sui organi, determinantur ad unum : v. g. visus ad colores, auris ad sonos...; libertas autem alterum amplectitur, rejecto altero, et inter plura opposita ipsa se determinat.

§ III. — De causis quibus moveri potest vel debet voluntas ut in actus suos erumpat.

138. Notio volitionis. — Actus voluntatis, quem *volitionem* seu *voluntarium* vocant, definiri potest *actus quem anima elicit scienter et secundum inclinationem suam*. Quocirca, si aut sine advertentiā, aut per vim et contra propriam inclinationem aliquid agamus, actus iste non erit voluntarius, sed *involuntarius*, si voluntas ei repugnet, et simpliciter *non voluntarius*, si tantum advertentia desit.

Voluntarium plus dicit quam *spontaneum*; nam importat reflexionem, quæ deest actibus merè spontaneis; v. g. spontanei sunt actus quibus animalia se ipsa movent, nec tamen voluntarii.

139. Species voluntarii. — Vel actus aliquis exercetur ab ipsā et in ipsā voluntate, et dicitur *elicitus*; vel exercetur ab aliis facultatibus animæ, sed jubente voluntate, et dicitur *imperatus*. Hinc S. Thomas : « Actio aliqua dupliciter dicitur voluntaria; uno modo, quia imperatur a voluntate, « sicut ambulare, vel loqui; alio modo, quia elicitur a voluntate, sicut ipsum velle. » (1^a 2^a, q. 2, a. 1, ad 2).

140. Voluntas aliquā indiget motione.

Ratio est quia, experiētiā teste, voluntas, ut intellectus, haud semper actu exercetur, sed transit de potentiā in actum, ac velle incipit quod antea non volebat. Porrò, ut fert princi-

pium alibi probatum, *omne quod movetur, ab alio movetur.*

Oportet ergo voluntatem ad agendum moveri ab alio, sive ut *incipiat* velle aliquid, cujus prius volitionem non exerebat, sive ut potius *alterum* quàm *alterum* velit. Quare duplici causarum genere movetur; quarum aliæ ipsam impellunt simpliciter ad agendum, aliæ verò ad agendum aliud præ alio. Porrò tribus causis movetur ad actus *specificè* sumptos, scilicet ut velit *hos* vel *illos* actus, nempe bono, intellectu et appetitu sensitivo; duabus autem, nimirum a Deo et a seipsà, ad exercitium actûs sui simpliciter determinatur. De quibus singillatim dicendum est.

141. PROP. 1^a: *Voluntas movetur a bono sive ad agendum, sive ad actus specificè determinatos.*

Prob. 1^a pars. — Omnis potentia passiva movetur ab objecto suo, a quo ad actum sollicitatur. Atqui voluntas est potentia passiva, cum non faciat objectum suum esse actu, sed potius reducatur ad actum ab objecto suo jam actu existente. Sed voluntatis objectum est bonum; ergo voluntas a bono movetur.

Prob. 2^a pars, quia omnis facultas ab objecto proprio speciem suam sumit. Sed proprium voluntatis objectum est bonum. Ergo pro diversitate bonorum quæ appetit, ipsius actus diversificantur.

142. PROP. 2^a: *Intellectus movet voluntatem quoad specificationem, non autem quoad exercitium actûs.*

Prob. 1^a pars. — Appetitus sequitur cognitionem; quia appeti nequit nisi præcognitum. Sed bonum voluntatis est universale, immateriale, quod a solo cognosci potest intellectu. Ergo voluntas non movetur a bono, nisi ratione oblato.

Prob. 2^a pars, quia intellectus voluntati *indicat* tantum materiam in quam intendere queat; solum enim *doctoris* officium implet, et voluntatis est seipsam determinare, suum actum ex seipsà elicere.

143. PROP. 3^a: *Voluntas indirectè moveri potest ab appetitu sensitivo (1).*

(1) Cf. *La Tête et le Cœur*, 2^e part., c. 2, a. 3, § 2.

Voluntas, ex dictis (n. 136), non fertur in bonum *absolutè* sumptum, sed in bonum sibi *conveniens*. Porrò, ut S. Thomas monet, « quòd aliquid videatur bonum et conveniens, ex « duobus contingit, scilicet ex conditione ejus quod proponitur, et ejus cui proponitur; conveniens enim... ex utroque extremorum dependet. Et inde est quòd gustus diversimodè dispositus non eodem modo accipit aliquid ut « conveniens, et ut non conveniens » (1^a 2^æ, q. 9, a. 2, c). Sed, experientià teste, passiones immutant gustum hominis efficiuntque ut res diversà fronte illi appareant, ac proinde convenientes vel non convenientes videantur. Unde Aristoteles: « *Qualis unusquisque est, talis finis videtur ei.* » (III *Ethic.*, c. 4).

Dixi 1^o *voluntatem ab appetitu sensitivo moveri posse*; quia nec necessariò, nec semper, nec eodem semper gradu ab eo movetur, sed in aliis actibus magis, minùs in aliis, in aliis autem nullatenus. (Cf. S. Th., *Qq. disp.*, q. xxvi, a. 6, ad 2).

Dixi 2^o *indirectè*; quia, cum appetitus sensitivus sit potentia organica, voluntatem directè per seipsum movere nequit, sed indirectè tantum, in quantum causa est cur objectum voluntatis quodammodo coloretur et diversimodè appareat.

144. PROP. 4^a: *Voluntas movet seipsam quoad media et fines particulares.*

1^o Actus voluntatis intellectûs actum imitatur. Atqui intellectus, ex primis principiis, ratiocinii sui labore ac voluntario motu, conclusiones ab iis deducendas investigat atque adinvenit. Ergo et voluntas, ex *naturali* ultimi finis appetitu, movet seipsam ad inquirendum et volendum media ad hunc finem idonea, vel particulares quosdam fines, quos sibi proponere potest pro libertatis suæ beneplacito.

2^o Quinimo, non tantum voluntas seipsam movet regitque, sed movet ac regit etiam cæteras animæ facultates, ut sua cuique testis est conscientia (1).

(1) Diximus voluntatem a Deo etiam moveri, quoad *exercitium* suorum actuum. Porrò Deus ad *singulos* ejus actus, sicut ad singulos omnium creaturarum actus adjuvando concurrat. — Insuper inclinat eam ad bonum *commune*, sive ad beatitudinem. Sed cum ea inclinatio sit solum *habi-*

§ IV. — De libertatis naturâ.

145. *Notio libertatis.* — 1° Libertas in genere præferet quamdam *autonomiam*; unde ens *perfectè* liberum illud est quod a nullo alio pendet; quæ libertatis *plenitudo* soli Deo competit.

2° Libertas, prout in *creaturis* invenitur, est *potentia quâ quis ita movet seipsum, ut actûs sui causa sit et dominus*; vel

tus, nec per se sufficiat ad voluntatem actu determinandam ad agendum, oportet ut Deus eam specialiter moveat ad exercitationem primi sui actûs.

Agitur nempe tum de primo actu quem exerit voluntas in primo instanti rationis, tum de primo actu quem exerit postea, in aliquo negotio de quo prius minimè cogitaverat.

1° *Voluntas ab aliquo exteriori principio moveri debet ad primum suum actum.* Nam quidquid transit ex potentiâ ad actum, debet ab aliquo moveri. Sed huiusmodi est voluntas, quæ incipit velle aliquid quod antea non volebat.

Et verò, vel voluntas ab aliquo exteriori principio movetur ad primum actum, vel ipsa se ad eum movet. Sed posterius dici nequit. Voluntas enim, utpote rationalis potentiâ, non seipsam movet, nisi mediante consilio. « Cùm enim aliquis vult sanari, incipit cogitare quomodo hoc consilio sequi possit, et per talem cogitationem pervenit ad hoc quòd potest sanari per medicum, et hoc vult. Sed quia non semper sanitatem actu voluit, necesse est quod inceperit velle sanari, ab aliquo movente. Et si quidem ipsa moveret seipsam ad volendum, oportuisset quod mediante consilio hoc ageret, ex aliquâ voluntate præsuppositâ. Non autem est procedere in infinitum. Unde necesse est ponere quòd in primum motum voluntatis voluntas prodeat ex instinctu alicujus exterioris principii. » (1^a 2^æ, q. 9, a. 4, c).

2° *Illud exterius movens non potest esse nisi Deus.*

Actus voluntarius est voluntati *naturalis*, utpote ab ipsâ intrinsecè procedens. Atqui Deus solus movere potest voluntatem ad actum ipsi naturalem. Nam « motum naturalem, ut ait S. Thomas, causare non potest nisi quod est aequaliter causa rei motæ. » Porrò Deus solus est causa voluntatis; ergo solus movere potest actum voluntarium in homine.

Movetur quidem aliquid ab exteriori principio, quin movens sit causa rei motæ, v. g., « movetur lapis sursùm ab homine, qui naturam lapidis non causat; sed hic motus non est lapidi naturalis ». Similiter movetur quandoque hominis voluntas ab exteriori principio, quod voluntatis minimè est causa; sed quemadmodum « naturalis motus (lapidis) non causatur nisi ab eo quod causat naturam, » ita « quòd motus voluntarius sit ab aliquo principio extrinseco, quod non est causa voluntatis, est impossibile. » (Ibid., a. 6, c.) (Cf. Billuart, *de ultimo fine, dissert.* 3, a. 3.

breviùs : *potestas eligendi inter plura*; qui enim inter plura eligit, actûs sui causa est et dominus.

146. *Libertatis species.* — 1° Ratione *vinculi* quo ligari potest, libertas dividitur in libertatem a *coactione* et libertatem a *necessitate*. Prior est immunitas violentiæ a causâ externâ illatæ; posterior autem immunitas impulsus interni quo agens ipsâ vi suæ naturæ ad agendum determinaretur. Porrò libertas, ut completa sit, duplicem hanc immunitatem expostulat.

2° Ratione sui *objecti*, libertas dividitur in libertatem *contradictionis, contrarietatis et specificationis.*

Libertas contradictionis viget cùm eligimus inter duo contradictoria, v. g., inter ambulare et non ambulare; libertas contrarietatis, cùm eligimus inter duo contraria, v. g., inter amare, vel odio habere aliquem; et demum libertas specificationis, cùm eligimus inter duo specie diversa, v. g., inter studium poesis, vel philosophiæ.

147. *Porrò libertas contradictionis sufficit ad essentiam libertatis salvandam.* Nam aliquis verè est liber, si causa et dominus sit sui actûs. Sed qui potest eligere inter duo contradictoria, quodcumque horum eligat, causa est et dominus actûs sui.

148. *Facultas peccandi ad libertatis essentiam non pertinet.* — Probat 1° quia aliquis potest esse causa et dominus actûs sui, proinque liber, licèt facultatem peccandi non habeat; siquidem potest eligere inter duo bona.

Confirmatur, quia sicut ad intellectûs essentiam non pertinet, ut ex principiis falsas conclusiones inferre queat, ita nec ad liberæ voluntatis essentiam, ut possit a fine averti et peccare.

2° Quinimo, si libertatis notionem altiùs perscrutari voluerimus, facultas peccandi *defectum* potiùs et imbecillitatem voluntatis quàm *vim* arguit, sicut imbecillior est ratio quæ a vero deficere potest quàm quæ non potest.

149. Nihilominus, attentâ hominis naturâ, non ei essentialis quidem, sed *naturalis* est facultas a recto deficienti, cùm ex nihilo sit, et ad nihilum propensus. Appositè Angelicus Doctor : « Posse peccare non est de *naturâ* liberi arbi-

« trii, sed *consequitur* liberum arbitrium, secundum quòd
« est in naturâ creatâ, possibili ad defectum. (*Qq. dispp. de*
Verit., q. 24, a. 3, ad 2).

§ V. — De libertatis existentiâ (1) et extensione.

150. Assertio 1^a : *Coactio seu vis cadere potest in actus voluntatis imperatos, non autem in actus elicitos.*

PROB. 1^a PARS. — Inter actus imperatos sunt qui non in interno voluntatis foro peraguntur, sed exteriùs prodeunt, ut ambulare et loqui. Atqui extrinseca vis voluntati hominis obsistere valet, ne faciat exteriùs quod intus vult, et vicissim; v. g., aliquis nolens catenis ligari potest et ad supplicium trahi.

PROB. 2^a PARS. — 1^o Repugnat eundem actum esse voluntarium simul et coactum. Porrò, si violentia inferretur actibus elicitis, voluntarii simul et coacti essent; voluntarii, quia supponuntur a voluntate promanare; coacti, quia supponuntur a vi extrinsecâ determinari. Voluntas igitur eundem actum vellet simul et nollet.

2^o Insuper, conscientia cuique testis est se nunquam adduci posse ut velit interiùs quæ non vult, quantumcumque urgeat violentiæ extrinsecæ instantia. Videre est quidem quosdam homines, minis deterritos, a suâ sententiâ *cedere*, et facere quædam a quibus, nisi vis immineret, abstinerent; sed istæ actiones sunt quidem *minùs* voluntariæ, non autem *propriè* coactæ.

151. Assertio 2^a : *Homo non est liber circa bonum in genere sive beatitudinem.*

Constat 1^o conscientiâ; quæ cuique testatur se ad beatitudinem semper anhelare, et ab insatiato illius appetitu temperare non posse.

PROB. 2^o *ratione*, ex naturâ voluntatis. Licet enim voluntas verè *agat* ac seipsam moveat (supra, n. 144), tamen merito dicitur *potentia passiva* (supra, n. 141), quatenus comparatur ad bonum, sicut *mobile* ad *movens*. Porrò, ut ait

(1) Cf. *La Vie et l'Hérédité*, 1^o part., c. 4, a. 2.

D. Thomas, « movens tunc ex *necessitate* causat motum in « mobili, quando potestas moventis excedit mobile, ita quòd « tota ejus possibilitas moventi subdatur. » (1^a, q. 82, a. 2, ad 2). Sed ita se habet bonum *universale seu perfectum* relativè ad voluntatem. Et quidem, si oculis objectum aliquod proponatur omni ex parte coloratum, non licet ipsis illud non videre. « Sicut autem coloratum est objectum visis, ita « bonum est objectum voluntatis. Unde si proponatur aliquod « objectum voluntati, quod sit *universaliter* bonum, et secundum omnem considerationem, ex necessitate voluntas « in illud tendit. » (1^a 2^æ, q. 10, a. 2, c).

Confirmatur, quia sicut ratio nullas cognoscere posset *conclusiones*, nisi principiis *primis* necessario adhereret, ita voluntas bona *particularia* libere appetere non posset, nisi necessario appeteret beatitudinem; hæc enim se habet in practicis sicut principia prima in speculativis.

Assertio 3^a : *Homo libertate pollet quoad bona particularia, seu quoad media ad beatitudinem.*

152. Errores. Multi philosophi pagani hominem, imo deos ipsos, fati subiciebant; unde et *fatalistæ* appellati sunt. Recentioribus autem libertatis adversariis magis congruit nomen *deterministarum*, quia docent hominem in omnibus suis actibus naturâ ipsâ determinari. Porrò illi ad triplex genus pertinent; alii enim nituntur in principiis *pantheismi* et hominis actiones habent ut necessariam quamdam evolutionem divinæ substantiæ; sic Spinoza, Fichte, Schelling, Hegel; alii ex dogmatibus *materialismi* aut *sensismi* argumentantur et hominem vel generatim subdunt materiæ, ut Hobbes, Helvetius, de Lamétrie; vel speciatim cerebri dispositionibus; sic Lombroso, Ferri, Garofalo et Colajanni, juxta quos existit *typus* quidam *criminis anatomicus, physiologicus* et *psychologicus*, quo qui notantur, ad crimen destinantur a nativitate. — Alii demum, cum Fouillée, contendunt voluntatem a ratione determinari, quia voluntas agit secundum motiva sibi a ratione exhibita, ac proinde necessario amplectitur bonum quod ratio majus esse declarat.

153. Existentiâ libertatis. — At libertas hominis circa

bona particularia ita cuique manifesta est, ut demonstratione non egeat, sed recenseri debeat inter veritates *primitivas*. Quia tamen hodie acrius impugnatur, præstat eam cum a posteriori, tum a priori quàm evidentissimè declarare.

I. *A priori*. Nam 1° sicut intellectus necessariò non adhæret nisi primis principiis, et conclusionibus quas ab iis necessariò inferri videt, ita voluntas necessariò non appetit nisi beatitudinem, et media quæ cum eâ necessariò conjungi percipiuntur. Atqui bona particularia vel non cum beatitudine necessariò conjunguntur, vel non existimantur absolutè necessaria ad eam consequendam. Quippe non sunt *simpliciter* bona, sed tantùm *secundùm quid*, quia defectu laborant ac limitibus circumscribuntur. « In particularibus bonis, ait S. Thomas, potest (intellectus) considerare rationem boni alicujus, et defectum boni, quod habet rationem mali, et secundùm hoc, potest unumquodque hujusmodi apprehendere ut eligibile, vel fugibile. (1^a 2^æ, q. 13, a. 6, c).

2° Ea bona voluntatem necessariò trahere non queunt, quæ capacitatem ejus non adæquant. Porrò talia sunt bona particularia, quippe quòd voluntas capacitatem habeat ad bonum universale, ut intellectus ad verum universale.

Quamobrem duplex est *causa* libertatis, altera *extrinseca*, ex parte objecti ad quod fertur, in quo sunt bona mixta malis aut defectibus; altera *intrinseca*, ex parte hominis qui cum polleat intellectu, pollet etiam *reflexione* et *comparatione*, et ideo potest in *diversa* ferri, ut monet S. Thomas: « Ratio enim circa *contingentia* habet viam ad opposita, ut patet in « dialecticis (probabilibus) syllogismis, et rhetoricis persuasionibus. Particularia autem operabilia sunt quædam contingentia; et ideo circa ea judicium rationis ad diversa se « habet, et non est determinatum ad unum. *Et pro tanto* « *neesse est quòd homo sit liberi arbitrii, ex hoc ipso quòd* « *rationalis est.* » (1^a, q. 83, a. 1, c).

II. *A posteriori*. — 1° *Testimonio conscientie*. — Intima scientia est quòd liberi simus; nam cuique hoc sua conscientia clamat sive antequam agat, sive inter agendum, sive postquam egit. Antequam agamus, *deliberamus* quid facere oportet,

teat, quidve, pensatis cunctis, opportunius videatur. — Inter agendum, *experimur* nos ita præ alio aliud accipere, ut aliud amplecti licuisset: quin etiam sentimus nos ab incepto desistere posse, unde nonnunquam etiam desistimus. — Postquam egimus, si benè, *gratulamur* nobis ac *plaudimus*; si malè, nos *pœnitet* ipsaque propria conscientia rem vertit *crimini*. Porrò interna illa et exploratissima phænomena vel omni sensu carent, vel existentiam libertatis perspicuam faciunt.

2° *Consensione omnium gentium*. — Omnes enim populi quasdam habent *leges*, aliosque civium actus *laude* ac *mercede*, alios autem *vituperio* et *pœnis* prosequuntur. Atqui hæc, sublatâ libertate, intelligi minimè possent. Leges enim non feruntur nisi quibus eas cognoscere et liberè servare licet; si autem homines necessitate ita constringerentur, ut neque ad dexteram, neque ad sinistram pro libitu vertere se possent, « *frustra* essent consilia, exhortationes, præcepta, « prohibitiones, præmia et pœnæ. » (1^a, q. 83, a. 1, c).

3° *Consectariis opinionis adversæ*. — *Fatalismus* enim ruinam inducit societatis omnis atque religionis, in ævo præsentis omnia permiscet, aufertque vitæ futuræ rationem. Nam societas quævis legibus innititur, quæ subditorum fulciuntur libertate; item suæ sunt religioni leges ac decreta quibus ligamur; cultus Deo liberè persolvi debet, bonum faciendum est, declinandum a malo. — Præterea, si homo libertate caret, jam nec *meretur*, nec *demeretur*, quia nec benè facit, nec malè; proindeque non est cur alteram vitam exspectemus, Deumve speremus virtutis remuneratorem, aut vitii vindicem.

§ VI. — De falsitate objectionum quibus libertas a fautoribus determinismi impetitur.

154. Objectiones determinismi reduci possunt ad quadruplex genus, prout sunt *cosmologica*, *physiologica*, *psychologica* ac *theologica*. Dimissis ad theologiam naturalem objectionibus theologicis, aliæ in præsentia solvendæ nobis incumbunt.

155. *Obj.* 1° Juxta scientiæ recentis decreta, omnia in

naturâ determinismo subjacent; atqui homo est pars naturæ; imo in ipsum, sicut in alia entia, agit natura physica; ergo et ipse leges determinantes debet sequi.

R. *Dist. maj. et. min., neg. conseq.* In naturâ quidem inorganicâ, omnia strictè determinata videntur ac mathematicè seu mechanicè fiunt; viventia autem a rigido isto determinismo sese *partim* saltem eripiunt. Plantæ quippe et a fortiori animalia intimâ pollent spontaneitate, quâ et se ad agendum movent, et impressionem ab agentibus externis receptam immutant; in illis itaque, secus ac in corporibus inorganicis, *reactio* non est æqualis *actioni*, sed *major et diversa*, ut fusiùs in cosmologiâ ostendetur.

Ex aliâ autem parte, quamvis homo, physicè inspectus, sit pars naturæ, non tamen, si psychologice consideretur, quippe qui solus inter omnia naturæ entia, ratione instruitur; ratio verò, ex probatis, est principium seu *causa* libertatis, ac proinde hominem a determinismo immunem præbet. — Et sanè actionem seu influxum temporis ac loci, frigoris et æstûs aliarumque id genus causarum materialium ipse patitur; ex quo influxu certas quidem accipere potest inclinationes, at potest etiam contra eas agere, et ab iis, sine corpore, at saltem eruere liberam mentem.

156. *Obj.* 2°. In homine, passiones movent voluntatem, imaginatio passiones, cerebrum imaginationem; ergo mediâtè et indirectè saltem voluntas ipsa corporis habitu atque indole determinetur necesse est.

R. 1° Supra, n. 143, diximus voluntatem moveri quidem posse ab appetitu sensitivo, quin tamen ab eo semper revera moveatur.

2° Insuper, licèt passio ab imaginatione, imaginatio vero a cerebro pendeat, tamen imaginatio pendet etiam plurimum a voluntate, quæ potest eam tum a certis imaginibus considerandis cohibere, tum ad alias inspiciendas dirigere. Unde, juxta Aristotelem, « imaginari est in nostrâ potestate ».

3° Demum, in hoc maximè voluntatis humanæ vis effulget, quod animalia statim sequuntur motum appetitûs concupiscibilis et irascibilis, ut ovis timens lupum statim fugit, « homo

verò non statim movetur secundum appetitum concupiscibilem et irascibilem; sed *expectatur* imperium voluntatis, quæ est appetitus superior. In omnibus enim potentiis motivis ordinatis, secundum movens non movet, nisi in virtute primi moventis. » (1°, q. 81, a. 3, c).

Idque verum est, ut advertit D. Thomas, etiam de passionibus vehementibus. « Non (enim) sufficit ad nostram electionem *quæcumque* immutatio possit esse in nostro corpore;... cùm per hoc non sequantur in nobis nisi passiones quædam vel magis, vel minùs vehementes; passiones autem *quantumcumque* vehementes, non sunt causa sufficiens electionis, quia per *easdem* passiones incontinens inducitur ad eas sequendum, per electionem, continens autem non inducitur. » (*Cont. Gent.* III, 85).

157. *Inst. Hæreditas* generat in corpore, imò et in animâ certam complexionem seu conformationem; hinc sponte sequuntur in corpore varii morbi, in anima autem variæ inclinationes determinantes.

R. *Conc. ant., neg. conseq.* Constat quidem ab hæreditate in homine generari varias dispositiones tum physiologicas, tum psychologicas, quarum aliæ ad quosdam morbos, aliæ ad quasdam passiones, et proinde ad crimina quæ ab istis passionibus oriri possunt incitare solent; sed non minùs experientiâ constat dispositiones istas arte ac labore *minui* semper, nonnunquam etiam *superari* posse. Nostris diebus, multas dispositiones morbidas ab hæreditate insemintas aut vincunt, aut moderantur medici. Porrò suæ quoque sunt medicis animorum artes, quas qui colunt, impigrè minuunt paulatimque frangunt inclinationes ad vitia, sive ab hæreditate, sive ab aliis causis originem ducant; v. g. ex iracundis mansueti, ex lascivis casti evadunt.

158. *Obj.* 3° Voluntas sequitur rationem, seu motiva sibi a ratione exhibita; quare non potest non sequi motiva, seu bona majora; inter bona verò æqualia non potest eligere; sique vincit saltem determinismus psychologicus.

R. *Conc. antec., neg. conseq.* Voluntas quidem non potest non amplecti bonum ipsi a ratione exhibitum ut *convenienter*